

nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cum fodisset, apparuit ostium: quia cum cordis duritia vel studiosis percunctionibus vel maturis correptionibus scinditur, quasi quaedam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Unde et bene illic sequitur: ingredere et vide abominationes pessimas, qua isti faciunt hic. Quasi ingreditur ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exteriorius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quae illicite cogitantur innotescant. Unde et subdidit: et ingressus vidi: et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio. In reptilibus cogitationes omnino terrenae signantur, in animalibus vero jam quidem aliquantulum a terra suspensae, sed adhuc terrenae mercedis praemia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terrae inhaerent, animalia autem magna parte corporis a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes volvuntur in mente, quae a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt: et per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Unde et bene subditur: et universa idola domus Israël depicta erant in pariete. Scriptum quippe est: et avaritia, quae est idolorum servitus. Recte ergo post animalia, idola describuntur: quia etsi honesta actione nonnulli jam quasi a terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur, depicta erant: quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac